

Z E L A N D I A:

Leuinus Lemnius Zirizæus in libello de occultis naturæ miraculis hæc habet inter alia de suis Zelandis, Regionem hanc maritimam veterib. olim non fuisse incognitam ex Cornelio Tacito colligi potest; non hoc equidem, quo nunc innotescit, nomine; sed ex vſu ac vulga- ta illa alloquendi consuetudine ac compellatione, qua populares atque indigenæ inter se sunt vſi: itaque MATTIACORVM illos nomine designat, cùm inquit: Est in eodem obsequio Mattiacorum gens Ba- tauris similis, nisi quòd ipsi terræ suæ solo acrius animantur. Quo indi- cat, tametsi Batauris siue Hollandis à cauitate terræ sic denominatis vi- cini sint ac finitimi, ita vt inter illos referri debeant; vulgari tamen no- minis appellatione discretos, atque Oceano propiores, magis feroceſ esse, vt reuera ſunt, ac viribus, ingenio, ſolertia, versutiis, calliditate, fal- laciis, captionibus, negociandi peritia, ac conquirendi industria ſuperi- ores. Quòd autem Mattiaci nominentur, non à loco, aut Duce aliquo, ſed à populari appellatione, atque vſitato loquendi more enatum eſt, nempe à MAET, quæ vox in quotidiano ſermone, ac congressu familiari, omnium apud nos actionum, contractuum, periculorum, ac totius vo- luntatis, confilij, laboris; ſocium, comitemque ſonat; omniumque rerum quas inter ſe exercent, participem ac conſortem. &c. Nam Zelandiæ no- men recens eſt, ac veterib. incognitum, à terra ac mari conflatum, quaſi dicas, terram ac ſolum maritimum: mari enim vndique cingitur, mul- tiſque Insulis diſtincta eſt, nempe quindecim, tametsi paucis abhinc an- nis magnam cladem huic Regioni Oceanus intulit, cuius ſæuitia atque immanitate, magna Zelandiæ pars, diuulſis ac diſſipatis funditus agge- ribus, ſalo oppreſſa eſt, atque mari æquata: ſubſiſtunt tamen inſignes ali- quot Insulæ, quarum tres præcipuæ cum Oceani æstu continenter lu- etantur, atque immensis ſumptibus, aduersum barbarum hoc atque in- domitum elementum ægrè ſe tuentur. Inter has primum ex alto in por- tum delatis ſe offert Walachria, vel ab eius cultore ſic denominata, vel vt coniicio, à Gallis, qui hanc oram frequentabant, qui Belgica voce e- tiam nunc Walen vocantur; aut ab ea parte Britanniæ, in qua versus Occidentem conſiſtunt Walli, apud Anglos præcipuæ nobilitatis viri, à Gallis etiam oriumdi, quod idionia eorum adhuc indicat. &c. Hinc A- quilonem versus, aut ab Ortu ſolſtiali oppoſita eſt Scaldia, à præterla- bente Scalde flumine ſic nominata. &c. Suybeuelandia, quæ à ſolo Au- stro oppoſito, ſic denominata eſt; ſpatiosiſſimo, amoemilliſſimoque versus Flandriæ ac Brabantia oras tractu exorrecta, tametsi paucis abhinc annis maximam iacturam paſſa, dimidio iam ſit anguſtior. Reliqua lege apud ipsum Auctorem, qui omnes eius Insulas, Oppidaque elegantiff. deſcribit. His, ſi velis, adiungas Lud. Guicciardinum, & horum abſo- lutam habebis cognitionem. Sed corollarij vice, adde Adriani Bar- landi Vrbium Germaniæ inferioris deſcriptiones.



